Te quoque si ad sepulchrum uolueris filiae
uolutari angelus increpabit quid
queris uiuentem cum mortuis;
Quod quia maria fecerat magdalenae
post quam uocem domini se clamantis agno
uit ad eius prouoluta pedes audiuit ne te
tangeris me nec dum enim ascendi ad pa
trem meum; Id est non mereris tange
re surgentem quem mortuum aestimas
in sepulchro; Quas nunc aestimas ble
sillam nostram pati cruces quae ferre
tormenta quod a christum uideat sub
iratum; clamat nunc illa lugenti;
Si umquam me amasti mater si tua ubera
suxi si tuis instituta sum monitis ne
inuideas gloriae meae ne hoc agas
ut a nobis in perpetuum separemur;
Putas esse me solam habeo pro te mariam
matrem domini; Multas hic uideo quas
antea nesciebam; O quam meliorem
iste comitatus; habeo annam quondam
in euangelio prophetantem et quo magis
gaudeas tantorum annorum laborem
ego in tribus mensibus esse consecuta sum;
Unam palmam castitatis accepimus;
Misereris mei quia mundum reliqui at
ego uestri sortem doleo quos adhuc
saeculi carcer includit quos cotidie in acie
praeliantes nunc ira nunc auaritia
nunc libido nunc uariorum incentiua ui
tiorum pertrahunt ad ruinam; Si uis ut
mater mea sis cura placere christo;
Non agnosco matrem meo domino displicentem;

Loquitur illa et alia multa quae taceo
et pro te dominum rogat mihique ut de eius mente
securus sim ueniam impetrat peccatorum
quod monui quod hortatus sum quod in
uidiam propinquorum ut salua esset excepi;
Itaque dum spiritus hos artus regit dum uitae
huius fruimur commeatu spondeo pro
mitto polliceor illam mea lingua reso
nabit illi mei dedicabuntur labores illi
sudabit ingenium; Nulla erit pagina
quae blesillam non sonet; quocumque sermo
nis nostri monimenta peruenerint illa cum meis
opusculis peregrinabitur; hanc in mea
mente defixam legent uiduae uirgines
monachi sacerdotes; breuis uitae spa
tium aeterna memoria conpensabit;
Quae cum christo uiuit in caelis in hominum quoque
ore uictura est; Transiit et praesens ae
tas sequentur saecula post futura quae
sine amore sine inuidia iudicabunt;
Inter paulae eustochiique nomina media
ponetur; Numquam in meis moritura
est libris; Audiet me semper loquentem
cum sorore cum matre;

## XLVIII HIERON AD MARCELLAM DE EXITU LEAE

Cum hora fere iam ter
tia hodierna die septuagesi
mum secundum psalmum id est
tertii libri principium legere coepisse
mus et dicere conaremur titulum eius
partem ad finem secundi libri partem
ad principium tertii libri pertinere

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK HEIDELBERG · BLB Badische Landes-Bibliothek · HESSEN Staatliche Schlösser und Gärten Hessen · UNESCO Organisation der Vereinten Nationen für Bildung, Wissenschaft, Kultur und Kommunikation · Kloster Lorsch Welterbestätte seit 1991
© Badische Landesbibliothek
http://bibliotheca-laureshamensis-digital.de/view/blb_augperg105/0300